



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CIV. Argumentum. Melioramenta facta in re aliena, quando sint restituenda ei, qui illa fecit? Et an teneantur ad restitutionem illi, qui præstant domos suas lusoribus alearum? Industriæ B. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

DE POSSESSORE BONÆ FIDEI.

8 Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus industriales, sed utique fructus naturales, & mixtos extantes, deductis tamen suis expensis. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 17. num. 44. Tamburin. d. §. 5. num. 2. Bonacina d. disput. 1. quest. 3. punct. ult. §. 1. num. 7.

Ampliatur primò hæc regula; ut restituere teneatur bonæ fidei Possessor etiam fructus non extantes, dummodò ipse ex perceptis, & consumptis factus sit ditior. §. Si Titius, cum duob. seqq. Instir. de rer. divis. Tamburin. d. §. 5. num. 3. Bonacina d. §. 1. num. 9. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. tom. 2. disput. 23. num. 133.

Ampliatur secundò. Ut etiam debeat restituere fructus perceptos, quos Dominus non percepisset ob suam negligentiam, vel quos diligentia, seu melioratione à Possessore facta ipse collegit; semper enim res fructificat suo Domino. Sanchez d. lib. 2. in Decalog. cap. 23. num. 105. Molina tom. 3. d. disput. 725. num. 22. Tamburin. d. §. 5. num. 4. Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. disput. 17. num. 52.

Ampliatur tertio etiam Pensiones rerum, quas Dominus non solebat locare, ut domus, jumentum. Sanchez d. cap. 23. num. 142. Tamburin. dict. §. 5. num. 8. Quamvis Diana absolvat ab hac restitutione Pensionis tum bonæ, tum malæ fidei Possessorem, si dominus dives præsumatur non curare de dicta Pensione part. 2. tract. 17. ref. 50. Quæ legitur in Coordinato tom. 8. tract. 7. resol. 8.

Limitatur autem supradicta regula; nam Possessor bonæ fidei non tenetur fructus restituere: Primò, quos bona fide consumpsit, & ex quibus non est factus ditior, Tamburin. dict. §. 5. num. 3. Bonacina dict. §. 1. num. 9. Secundò neque eos, quos usucapione fecit suos, id est transacto jam triennio, etsi extantes, vel ditantes. Tamburin. d. §. 5. num. 3. Bonacina ubi supra num. 10. Tertiò neque tenetur rescire lucrum cessans, vel damnum emergens ob fructus industriales. Tamburin. ibid. num. 5. Quartò neque fructus collectos in suo agro ex semine alieno bona fide seminato in prædicto fundo suo. Tamburin. ubi supra num. 7. Et Quintò bonæ fidei Possessor deducere debet expensas tum necessarias, tum utiles; ac etiam æstimationem laboris sui. Tamburin. dict. lib. 8. in Decalog. tract. 3. cap. 3. §. 5. num. 11. Eminent. Cardin. de Lugo dict. disput. 7. num. 61.

Ex his studiosus lector cognoscet absque alia hæcificatione, qua causa excuset à restitutione fructuum? Nempè Circa malæ fidei Possessorem tres causas reperiri. Primam, si ex sola industria sua fructus percepit. Secundam, si absque sua culpa fructus periere, ut incendio, furto, tempestate. Terriam, si eum stringat inopia, vel famæ & honoris jactura gravis. Tamburin. Sanchez & de Lugo locis supracitat. Layman. d. lib. 3. tract. 2. cap. 12.

Circa verò bonæ fidei Possessorem ultra prædictas tres causas, Quartam addo id est Usucapionem completam, idem Layman. d. lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 7.

DECISIO CIV.

ARGUMENTUM.

Melioramenta facta in re aliena, quando sint restituenda ei, qui illa fecit? Et an tenean-

tur ad restitutionem illi, qui præstant domos suas lusoribus alearum? Industria B. Nicolai Albergati Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis in extirpandis alearum, ac taxillorum ludis.

SUMMARIUM.

1. Melioramentorum genera tria, & quæ?
2. Melioramenta bonificanda bonæ fidei possessori.
3. Secus possessori mala fidei.
4. Lusoribus alearum qui domum præstant, an teneantur restituere?
5. B. Nicolai Albergati Cardinalis industria contra lusores alearum.

Titius litigans vicit, & evicit Cajo campos centum. Causa petit sibi melioramenta solvi in dictis campis facta. Titius petit à Parocho consilium in conscientia. Quæritur, quid consulet?

Dicendum. Parochum scire debere, tria esse genera melioramentorum, videlicet Necessaria, Utilia, & Voluptuaria. Illa dicuntur Necessaria, quæ si adhibita non fuissent, res nullos fructus, seu cerè deteriores produxisset. Utilia vocantur, quibus res reddit fructus ampliores. Voluptuaria sunt, ut fontes, statuz, picturæ, cap. Impense. de Verb. Signific. & ibi Gloss. Tamburin. in Decal. dict. lib. 8. tract. 3. cap. 3. §. 5. num. 13. Sanchez dict. lib. 2. in Decalog. cap. 23. num. 134. His præcognitis debet interrogare Titium, an Causa ejus adversarius possederit dictos campos centum male fide, vel bona fide? Si bonæ fidei Possessor Causa fuit, debet Titius omnia melioramenta solvere, & compensare. l. Julianus. l. 2. In fundo. ff. de Rei Vindic. l. Si quid possessor. §. Sicut autem ff. de Perir. hered. Angelus Verb. Expensa num. 3. & Sylvest. quest. 4. num. 5. Sanchez d. cap. 23. num. 147. Tamburin. dict. §. 5. num. 14. qui subdit, dari libertatem Possessori bonæ fidei melioramenta voluptuaria transportandi, si sint separabilia: quæ si separari non possunt, debet eorum valor ipsi solvi à Domino rei, cui inhærent; quod si plurimi valerent, neque Dominus veller tot expensas refundere, debet vendere rem eidem Possessori bonæ fidei iusto pretio, non computatis melioramentis. Quod si Causa fuerit Possessor malæ fidei, Titius non est obligatus ad compensanda melioramenta voluptuosa in re sua ab ipso Cajo facta, qui sibi imputare debet, si in re aliena expensas non necessarias, neque utiles, sed tamen ad ornatum, & pompam fecerit. Covarruv. in Reg. Peccatum. 2. part. §. 6. num. 3. Menoch. de Recuper. poss. remedi. 15. à num. 501. Joan. Garz. de Expens. cap. 4. & seqq. Sanchez dict. lib. 2. in Decal. cap. 23. num. 137. & 138. ubi pluribus DD. citatis ait, sola melioramenta necessaria, & utilia esse rescicienda à Domino, etiam si dominus non fuisset effecturus rem illam meliorem. Porro si auferri possunt melioramenta voluptuaria absque detrimento pristini status rei, non est impediendus malæ fidei Possessor illa transportare. Layman. lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 4. quod si sint inseparabilia, quamvis communis sit sententia Doctorum, non esse obligatum Dominum rei ad illa compensanda. Covarruv. dict. §. 6. num. 3. Sanchez dict. cap. 23. num. 139. & Tamburin. d. §. 5. num. 14. nihilominus Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 17. num. 63. vult, sol-

vendum esse à Domino saltem quid modicum pro melioramentis voluptuariis; quia etiam id refultat in ejus utilitatem, & ita consulendus Titius à Parocho.

Sed quomodo respondendum ad hunc sequentem casum? *Accedit ad Confessionem Vir, qui domum suam expositam tenet luforibus alearum, & taxillorum. Quaritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum hujusmodi Penitente?*

AB omnibus studiosis concorditer responsum fuit, hujusmodi Penitenti denegandam esse omnino absolutionem, nisi firmiter proponat, non amplius permittere in sua domo ludos alearum, & taxillorum; cum enim à luforibus horrenda blasphemiz peccata committantur, & pecuniz perdantur in maximum detrimentum familiarum, uxorum, & filiorum, ut experientia demonstrat, Dominus illius iniqui receptaculi reus sit prædictorum omnium peccatorum, imò tenetur ad restitutionem pecuniarum deperditarum à filiisfamilias. Navar. in *Manual. cap. 20. num. 15. Rebell. de Obligat. justit. part. 2. lib. 2. quæst. ult. num. 5. Tamburin. d. lib. 8. in Decalog. tract. 2. cap. 9. §. 1. num. 31. Diana part. 2. tract. 15. ref. 65. & part. 7. tract. 9. resol. 39. quæ à requirentibus in opere Coordinato inveniuntur rom. 6. tract. 4. resol. 1. & 2. ubi rigore sè damnantur, qui domos ludo expositas tenent: etsi eos peccare mortaliter affirmet Diana, & obliget ad restitutionem; contrarium esse improbabile oportet affirmare.*

In Vita B. Nicolai Albergati Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis legitur, inter alias ejus sollicitudinis Pastoralis industrias, illam fuisse celebrem, extirpandi scilicet alearum, ac taxillorum ludos, cum hi dent occasionem committendi maxima peccata, & sint ruina multarum animarum; in eis enim boni sunt mali, & mali sunt pessimi; homines marcescunt otio, divites consumunt pecuniam, & facultates, alii tempus, & conscientiam, ut latius disserit Hieron. à Basilica Petri in *Ephemer. sacris die 9. Maii. Hinc Justinianus Imperator Novella 77. gravissimas penas statuit in lufores.*

DECISIO CV.

ARGUMENTUM.

Docetur: Quid sit Mansuetudo? Quotuplex? Quæ ejus officia? Quæ ejus requisita? Quæ vitia Mansuetudini opponantur?

SUMMARIUM.

1. Mansuetudo quid sit?
2. Quotuplex?
3. Mansueti multi in lingua, sed non in corde?
4. Mansuetudinis officia quatuor, & quæ?
5. Ira quid sit?
6. Moderitas in Mansuetudine servanda.
7. Mansuetudini opponitur iracundia, & stupiditas.

Circa hanc virtutem oportet scire quod Mansuetudo (quæ derivatur à mansuescere, id est manu lenire, feras enim mansuetas manu leni tangimus) sit affectio, seu qualitas moderatrix ira. Arist. 4. *Ethic. cap. 12.* & ibi Sylvest. Maur. in *Comm. S. Thoma 2. 2. quæst. 157. Lessius lib. 1. cap. 4. dub. 1. num. 18. Eminentiss. Cardin. de Laurza rom. 2. de Virt. in gen. disput. 31. art. 9. num. 424. 425. Est autem virtus Deo gratissi-*

ma, & meritoria Paradisi, juxta *Psal. 149. Exaltabit mansuetos in salutem.*

Duplex est Mansuetudo: Exterior, quæ in lenitate verborum consistit: & Interior, quæ in cordis dulcedine radicatur. *Primum* multi spirituales profitentur. *Secundum* non omnes adipiscuntur; vidi enim nonnullos, qui ob malas satisfactiones receptas à proximo suo continent se à jurgiis, & à clamoribus, sed servant in corde occultissimum appetitum vindictæ, quo fatiantur tories, quoties proximus ille indiget eorum ope, vel auxilio, reddentes se aggresses, asperrimos, ac etiam crudeles. Ideò cavendum, ne sola exteriori mansuetudine contenti simus, nam tolerare, & odisse non est Virtus Mansuetudinis, sed velamentum furoris. S. Greg. hom. 7. in *Ezech. quod etiam optimè docet S. Francisc. Sal. in Phil. p. 3. cap. 8.*

Officia, seu actus veræ, ac perfectæ mansuetudinis sunt quatuor. 1. Moderari impetus cordis iracundos. 2. Loqui verbis suavis, placidis ac modestis. 3. Abhorreere quancunque vindictam. 4. Paratum esse benefacere cuique injurianti. P. Laud. de Pont. part. 3. *Medit. 11. punct. 4.*

Requisita Mansuetudinis reducuntur ad unam mediocritatem in ira reprimenda; cum enim ira sit accensio sanguinis circa cor. Arist. lib. 1. de *Anim. Seu libido puniendi eum, qui videtur læsisse injuria. Cic. lib. 4. Tuscul. non est semper mala, sed aliquando bona; cum scilicet irascimur de malo, quantum, & quando oportet; & ideò Virtus Mansuetudinis non abjicit omnem iræ gradum, sed servat mediocritatem in irascendo. Arist. 4. *Ethic. 12. unde scriptum est Eccl. 7. 10. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Et de mansuetissimo Redemptore nostro notavit Evangel. Joan. 2. 15. Quod cum fecisset, quasi flagellum de funiculis; eiecit ementes, & vendentes de templo, inquit cum Davide, Zelus domus tua comedit me: & alias invidentibus Phariseis, quod Sabbato curaret, Christus circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cecitatem eorum. Marc. 3. 5. Ac etiam de pluribus Sanctis, quorum egregia erat mansuetudo, habemus aliquando iratos contra malos, quantum, & quomodo oportebat; ut de SS. Elia, Moysè, Davide, Petro, ac Paulo Apostolis demonstrat Eminentiss. Cardin. de Laurza dict. disput. 31. art. 9. num. 455. Igitur ad virtuosam Mansuetudinem requiritur, non ut nunquam irascamur, sed cum mediocritate, scilicet, contra quos oportet, ac quando, & quantum oportet.**

Vitia, quæ Mansuetudini opponuntur, sunt duo. Unum per excessum, & est Iracundia, Acerbitas, aut Amaritudo, non servata mediocritate. Alterum per defectum, & est Stupiditas, seu Stoliditas, aut Segnitias; cum nescimus irasci contra malos quando, & quantum oportet. Ita ex Arist. d. lib. 4. *Ethic. cap. 12. & ibi Maurus in Comment. S. Thoma 2. 2. quæst. 157. Lessius lib. 1. cap. 4. dub. 4. & 5. Eman. Thesaur. in Philos. Moral. lib. 10. cap. 1. Martin. Fornar. lib. 2. tract. 2. cap. 29. post Summ. Toleti. S. Francisc. Salesius in Philot. part. 3. cap. 8. & 9. P. Lud. de Ponte in Guid. Spirit. part. 2. tract. 4. cap. 16. & prælibatus Eminentiss. Cardin. de Laurza dict. rom. 2. disput. 31. art. 9. per totum.*